

rem consentiunt. Illud etiam animadvertendum, morum actiones non posse severa definitione, sed potius descriptione exprimi. Communior ergo mutui finitio hæc est: *Contractus, quo res usu consumptibilis in consumptionis usum traditur ea conditione, ut post aliquod tempus tantundem restituatur.* Contractus locum generis occupat, ut distinguatur a pacto nudo. Res, quæ mutuo traduntur, numero, pondere, & mensura constant, usque dantur consumendæ. Ad mutui rationem haud satis est, ut res tradendæ usu consumi possint; sed requiritur, ut in consumptionis usum tradantur. Quæ enim usu consumuntur, ad pompam, ostentationemque trahi valent, ut notat Ulpianus lib. 3. ff. *Commodati. Non potest commodari id, quod usu consumitur, nisi forte ad pompam, vel ostentationem quis accipiat.* Docet hoc idem D. Thomas 2. 2. q. 78. Accedit, quod si res usu consumptibilis, non ad consumptionem, sed ad custodiam tradatur, non mutuum, sed depositum vocatur. Heinc consequitur, in mutuo non easdem res, quæ accipiuntur, sed alias ejusdem generis restitui debere. Si enim quæ acceptæ sunt usu consumuntur, eadem sane reddi nequeunt. Similes ergo restitui debent, ut vinum pro vino, triticum pro tritico, pecunia pro pecunia. *Post aliquod tempus.* Particula hæc significat inter traditionem rei, & restitutionem fluere aliquod tempus oportere; alioquin inutile mutuum esset. Nequit ergo mutuator illico rem mutuo datam repetere, quamquam valeat mutuarius statim restituere. Tempus præstitui potest inter partes, quo elapso, repeti mutuum potest; secus antea repeti, aut restitui debet. Si nullum præfinitur tempus, mutuator pro arbitrio repetere, post aliquod spatium, mutuum valet. Quantum vero interfluere tempus debeat, dum nulla dies præstituta sit, designari nequit. Apud Romanos ante trigessimum, apud Hebræos ante trigessimum repeti non poterat mutuum. Denique *tantundem*, prodit, quod in mutuo non eadem nu-

mero res, uti diximus, sed altera ejusdem quantitatis, & valoris restitui debeat. Quod perspicue asseritur in Pontificiæ Epistolæ Textu his verbis. *Mutuum suapte natura tantundem dumtaxat reddi postulat, quantum receptum est.*

§. III.

ERROR PRIMUS, ET SECUNDUS

Evidenti consecutione confixus ex communi mutui finitione in laudato Epistolæ textu probata.

I. Dupliciter error aliquis in Apostolica Decretali proscibitur, aut expresse, aut necessaria consecutione ex probata Doctrina profecta. Hac posteriori via confixos asserimus in Pontificiæ Epistola duos errores, cum communi mutui notione ibidem probata pugnantes. Hoc idem intelligendum volo de aliis erroribus, quos infra profligabo. Labet errores ipsos recensere, quod conferat ad clariorem controversiæ intelligentiam. Fatetur enim ipse Broedersen in sui *Tractatus Brevis Præf. num. 21. quod præcipua disputationum circa usuram causa, est varius intellectus mutui.* Et ille ipse a communi mutui finitione recedens, peculiarem excogitavit errorem, qui ejusmodi est: *In sensu Sacræ Scripturæ (inquit Broedersen Tract. Brev. pag. 24.) per mutuum, etiam intelligitur equus, currus &c. At qui ex tali mutuo aliquando licet accipere lucrum. Ergo in sensu Sacræ Scripturæ falsum est, quod omne lucrum ex mutuo sit usura a Deo damnata.* Jam diximus aliquando in Scriptura mutuum pro commodato, & contra, usurpari. At communis semper fuit, estque Catholicorum sententia, quod ex mutuo lucrum nullum percipi jure possit. Equus, currus &c. & mutuo, & commodato dari possunt. Verum dum mutuo traduntur, nullum lucrum licitum est. Error ergo apertissimus est ejusdem Broedersen, prosciptus in Epistola, in qua statuitur *tantundem*, & nihil

nihil amplius ex mutuo recipi jure posse.

II. SECUNDUS ERROR prosciptus, ab ipsis Jansenistis inventus est, quemque refert Barchmanus, sive Author operis inscripti *Dogma Ecclesiæ* in ipsa *Præf. pag. 14. num. 22.* illumque tribuit ipsi Broedersen, & alteri ejusdem Sectæ. Inquiunt illi, mutuum esse omnino gratuitum. Si gratuitum, repugnat ex mutuo recipi quidpiam posse. Quare si pecunia Diviti abutenda tradatur, tunc non est mutuum nuncupandum. Sed audiamus illorum argumentationem, quam refert laudatus Barchmanus. *Mutuum gratuitum est: Ergo nos, qui pecuniam ad lucrum damus, mutuo non damus, adeoque nec usuram committimus, quæ est lucrum ex mutuo.* Quo ratiocinio nihil ineptius, ne dicam dementius, excogitari potest. Consequitur enim meram esse chimæram Dogma contra usuram. Omnes sceneratores lucrum volunt. At dum lucrum volunt, nolunt mutuum. Fieri ergo nequit, ut sceneratores usuram perpetrare valeant, etiam si velint. Nam dum volunt lucrum, nolunt mutuum. Sceneratores semper lucrum volunt, ergo semper nolunt mutuum. Numquam ergo usuram committere, etiam si velint, possunt; cum usura lucrum ex mutuo sit. At nonne, inquiunt, mutuum opus est misericordiæ, & liberalitatis? Dubio procul. Quid inde? Fines, & mutui officia, confundi non debent cum ipsa natura mutui. Finium, & officiorum violatio mutui naturam non destruit, sed inquinat. Usura labes est, quæ inficit, non destruit mutui contractum, ut clarius, & fufius infra dicam.

III. Crassissimus itaque error est Broedersen, qui tum in *Tract. Brev.* tum in ipso volumine *de Usuris licitis &c. pag. 42. num. 41.* hæc scribit: „Itaque secundum sacram Scripturam mutuum, si istud quod mutuo datur spectemus, ita possit describi: *Mutuum est, quodcumque proximo utendum datur, ita ut sine ullo incremento reddatur.*“

IV. Si errorem hac in finitione clau-

sum internoscere claritus velis, audi quæ continuo ibidem pag. 43. adjicit, ubi præfatam particulam *sine ullo incremento* explicat. *Quia, inquit, si cum aliquo incremento res aliqua esset reddenda, esset alius contractus V. G. Locatio, Societas, Usura &c.* Vides præfactum novi erroris fundamentum. Quoties lucrum ex pecunia alteri credita percipitur, non mutuum, quod gratuitum sit oportet, sed locatio, societas, dicenda est, vel usura licita, utpote ex locationis, vel societatis contractu exacta. Locari enim pecuniam, quemadmodum agrum, domum, equum &c. contendit Broedersen cum Molinæo, Salmasio, suoque Interprete Italo. Confundunt mutui effecta cum ejusdem natura. Mutui essentia in hoc sita est, quod res, quæ numero, pondere, & mensura constat, in consumptionem abutenda tradatur, cum onere tantundem restituendi, elapso aliquo tempore. Quod gratis, & liberaliter, aut præstituto lucro hoc fiat, naturam contractus non destruit: modi quippe hi sunt contractum ipsum aut perficientes, aut inquinantes, ut dictum est supra, & dicetur infra.

§. IV.

ERROR TERTIUS,

Qui ex Pontificiæ Epistola damnatus infertur, quemque excogitavit Author libelli inscripti: Traité de la Pratique des Billets.

I. Prudens Jacobus Gaytte cap. 3. sect. 3. finitionem mutui, quam citatus Author primus omnium excogitavit, prolixè refellit. Paucis nos rem expediamus. Hæc itaque docet Author libelli cap. 3. „Le prest a proprement parler est un contract par le quel une personne prest quelque chose pour estre consumée directement, ou indirectement par l'usage qu'en fait, ou en fait faire celui, qui emprunte . . . Il est de la dernière importance de remarquer deux choses.

C

„ La

„ La premiere est qu'il y a deux sortes d'usage, l'un de consommation, & destruction, & l'autre d'emploi, & d'accroissement. Les choses prestées se destruisent par le premier, & celles qui sont destinées pour le commerce s'augmentent par le second. Le premier fait que les choses prestées deviennent steriles: & le second fait que celles qui sont employées dans le commerce deviennent fertiles. D'ou vient ce nom d'usu-fruit. qui signifie fruit, profit de l'usage. „

II. Duplex Author iste commentus mutuuum est. Unum consumptionis. Alterum incrementi. Consumptionis mutuuum appellat, quod pauperibus traditur. Pauperes enim acceptam pecuniam consumunt, ut vivant. Contra mutuuum incrementi vocat, quod Mercatoribus datur. Mercatores enim acceptam pecuniam negotiationi applicent, eaque lucrum assequuntur; & ideo hæc non consumitur, sed fructificat, lucrumque parit. Distinctio hæc commentitia est, & ineptissima. Sive enim pecunia pauperibus, sive Mercatoribus tradatur, abusu consumitur. Quod ut evidentius fiat, duplex consideranda consumptio est. Una naturalis, aut physica, quæ usu destruitur; ut cum panis comeditur, vinumque potatur. Altera moralis; cum res immutata in semetipsa remanens, alienatur. Hinc pecunia suo usu consumitur, cum distrahitur. Quare Justinianus lib. 2. Just. cap. 4. inquit. Pecunia numerata ipso usu assidua permutatione quodammodo extinguatur. Porro mutuuum

ius in rebus situm est, quæ suo usu, aut physice, ut vinum; aut moraliter, ut pecunia, consumuntur. Quare mutuuum reperiri nequit, quin ad absum, seu consumptionem tradatur. Numquid pauper ipsam pecuniam non destruit? Non ne sicuti Mercator, accepta pecunia, merces emit; ita & pauper pecunia mutuo sibi data merces, quibus vivat, emit? Ambo, pauper, & Mercator, pecuniam moraliter destrunt. Hoc solo discrimine, quod pauper eam distrahit, ut unde vivat, habeat: Mercator in mercaturam convertit, ut lucrum assequatur. Hæc omnia extraria mutuo sunt, cujus natura ab his minime pendet.

III. Ex his palam est, quam falsam, quam fraudulenta sit laudata mutui distinctio. Eo quippe tendit, ut lucrum perceptum ex mutuo tradito Mercatoribus immune ab usura sit. Iste ergo est ERROR TERTIUS, qui ex nostra Pontificia Epistola proscribitur evincitur. Unicum quippe mutuuum in eadem constituitur, unde usuræ crimen arcessitur. Pugnatur quoque distinctio hæc cum omnibus definitionibus, quas sive Theologi, sive Jurisconsulti excogitarunt. De hac distinctione sic loquitur D. Jacobus Gaytte: *Huius definitionis pravitas, ac falsitas, hinc etiam colligi potest, quod a cæteris omnibus mutui definitionibus, quæ tam ex Justiniano, tum ab utriusque Juris Doctoribus, ac etiam Theologis nostris proferuntur, dissentiat, discrepet, atque discordet; ut proinde non tantum suspecta nobis videri debeat, sed etiam prava, perversa, totaque ad fœnoris patrocinium excogitata.*

CAPUT V.

Duo Pontifex Summus BENEDICTUS XIV. quæ in discrimen adducta erant, definit. Alterum, usuram peccatum esse.

Alterum, usuram in mutuo sedem, locumque habere.

§. I.

I. PAUCIS, sed significantibus verbis Pontifex Summus duo puncta, quæ sunt totius Controversiæ cardines, definit. Primum, usuram peccatum esse. Alterum, peccatum istud in mutuo proprium locum, sedemque habere. Verba Epistolæ Decretalis recurrant sub oculos. *Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem, & locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantumdem dumtaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit quam est receptum.* Habes itaque, Sede Apostolica definiente, usuram absolute acceptam, nulla personarum diversitatis ratione habita, peccatum esse. Habes alterum; nempe peccatum istud in mutuo suam propriam habere sedem, dum lucrum ex eodem supra sortem percipitur. Hæc duo perspicue, & partite definita sunt.

II. Ecquid opus erat, inquirunt nonnulli, hæc duo definire? Quis unquam illa in controversiam revocavit? Quis? Calvinus, Molinæus, Salmasius. Post Jansenistæ Schismaticæ Ultrajectinæ Ecclesiæ pseudo-Canonici, quos inter Broedersen emicat. Tandem his accessere nonnulli etiam Itali. Hæc omnia sequentibus paragraphis palam faciam. Placet hic verba ipsius Calvini transferre, ut pudore tangantur indocti nonnulli, qui ejusdem fere verbis usuram propugnant. De usuris Hæresiarcha disputat, & in expositione octavi præcepti, & in cap. 18. Ezechielis hæc habet: *Si ex æquitate iudicium facere convenit, usuras quaslibet absque exceptione damnare nulla patitur ratio.* Debitor si tergiversando tempus ex-

traxerit cum dispendio, & molestia creditoris, an consentaneum erit, eum ex mala fide, & frustratione lucrum capere? Nemo certe, ut arbitror, negabit usuras creditori solvendas esse, præter sortem, ut pensetur ejus jactura. Si quis locuples erit in suis nummis, fundum emere volens, partem aliquam summæ ab altero mutuetur: Qui pecuniam numerat, an non poterit ex fundi redditu fructum aliquem percipere, donec fors representata fuerit? Multa ejus generis quotidie accidunt, ubi, quo ad æquitatem spectat, usura nibilo deterior erit, quam emptio. Nec vero arguta illa ratio Aristotelis consistit, fœnus esse præter naturam, quia pecunia sterilis est, nec pecuniam parit: poterit enim ille, quem dixi, frustrator ex aliena pecunia questum uberem facere negotiando. Fundi emptor metet, ac vindemiabit. Verum excipient, qui contra sentiunt, simpliciter standum esse Dei iudicio, qui generaliter omne fœnus populo suo interdicit. Respondeo, non nisi de pauperibus habere sermonem: ideoque si cum divitibus negotium sit, liberum jus fœnerandi permitti, quia Legislatorem unam notando, alteram de qua subicitur, videtur non damnare. Si rursus objiciant, fœneratores a Davide, & Ezechiele in totum damnari, sententias illas ad normam charitatis exigi debere arbitror: ideoque non damnari nisi improbas exactiones, quibus creditor posthabita æquitate, debitorem suum onerat, ac premit. . . . Clare patet, veterem populum ab usuris fuisse prohibitum; sed hanc fuisse partem ordinis politici fateri necesse est. Unde sequitur, usuras hodie non esse illicitas, nisi quatenus cum æquitate, & fraternæ communionis pugnat. Mox videbit lector hæc, quæ paucis Calvinus comprehendit, a Broedersen, ejusque Interprete Italo fufius propugnari. Nec

est quod obrudas, initium causæ ab invidia me arcessere; quoniam non omnia, quæ Calvinus docuit, hærefes sunt. Fateor. Plurima vera docuit Calvinus; sed de usuris hæreticam doctrinam propugnat, ut ex Catholicis omnibus, & ex allata definitione BENEDICTI XIV. evidenter constat. Nec ego hæc rescripti, ut ex hæretico homine odium sententiæ, quam oppugno, conflarem, quasi hoc indigerem subsidio; sed ut palam facerem, recentes usurarum Patronos Calvini ad hoc quod attinet doctrinam compecti, ejusdemque hæresim defendere. Quod porro hæc doctrina hæretica sit, non ideo evinco, quod Calvinus eam docuerit, sed quod Ecclesia Romana eam damnet, ut verbo Dei, & Apostolicæ traditioni omnium sæculorum oppositam, ut infra demonstrabo.

§. I I.

Quam necessario duos præfatos articulos BENEDICTUS XIV. definerit, ex variis usurarum acceptationibus evincitur.

ERROR QUARTUS
PROSCRIPITUS,

Quem docet Nicolaus Broedersen cum suo Interprete Italo.

I. Ut necessitatem, quæ ad definitionem Apostolicam promendam Sanctissimum Pontificem coegit, demonstrarem, errores ostendam oportet adversus præfatos duos articulos evulgatos. Authorum tamen Nomina silentio præterire constitui, ut in eisdem officium, obsequiumque meum testatum faciam. Ad summum quandoque verba aliqua rescribam, non Authore, sed libro, & pagina indicatis, & hoc idem, non nisi urgente necessitate præstabo; ne videlicet dicant, me hostes, quos feriam, fingere, & cuipiam pro ingenio errores imponere, nullo, ubi sint, indicato vestigio. Ad rem ipsam.

II. Usuram compensatoriam, ut vo-

cant, quæ absolute usura non est, cum lucratoria Calvinus omnium primus confudit, ut vocis invidiam declinaret. Si enim compensatoria, quidni & lucratoria, inquit ille, licita, & innocens erit? Versutiam Hæresiarum omnes posteriores usurarum Patroni æmulati sunt. Integros fere libros infumunt, ut huic amatæ voci innocentiam asserant, vindicentque. *Usuram lucis, usuram vitæ*, scribit eloquentiæ Romanæ Princeps Marcus Tullius. Ex digestis excerpunt, *Usuras legitimas: sub usuris solitis*: Ex Codice *Minoribus usuris: Indebitas usuras, cum usuris licitis*. Innumera sunt, quæ ex Dictionariis Italis, Latinis, Græcis, & Hebraicis promunt, ut evincant, usuræ nomen natura sua nil mali prætere, sed varias subire formas, aut æquitatis, si luerum moderatum fuerit, aut injustitiæ, si immoderatum. Incredibili tædio Lectorem afficerem, si vel minimam eorum, quæ ad hanc vocem explicandam, verius dixerim implicandam, cavillandamque infarciunt, partem describerem. Irrito tamen conatu res aggerunt. Nam omnium fere Gentium linguæ, usuræ nomen (ubi de mutuo res est) quid portentosum redderet. Sed his omnibus, quæ ad controversiæ caput nil conferunt, prætermittis, errores indicabo, qui necessaria consecutione proscripti remanent ex duobus articulis a Sanctissimo Pontifice BENEDICTO XIV. definitis:

III. Nicolaus Broedersen lib. 1. par. 2. cap. 11. pag. 68. definitionem, quam Catholici omnes de usura perhibent, quamque confirmavit Summus Pontifex in hac sua Epistola his verbis capit, sigillatque num. 106. „ Hic vero „ examinandum est, num usura secun- „ dum sacram Scripturam, non sit de- „ finienda: *Usura est incrementum ex „ mutuo exactum*. Ita censet Dominus Gaytte &c. (ubi n. 107. hæc respon- „ det) Supponit Doctor hic eum, qui „ pecuniam suam dat ad usuram, pe- „ cuniam suam mutuam dare, ut ex „ ipsa pecunia mutuo data, id est ex

mutuo

„ mutuo, usuram percipiat. Hoc est „ supponere esse verum, de quo lis „ agitur. *Præterea quod ille supponit, „ evidenter falsum est. Qui enim pecu- „ niam suam dat ad usuram, pecuniam „ sane mutuam dat*, ait ille. AT EGO „ CONTRARIUM AFFIRMO: *Pecu- „ niam sane mutuam non dat*. Eo ipso „ enim quo aliquis mutuam dat pecu- „ niam, IMPOSSIBILE EST EXIGERE „ USURAM: MUTUUM ENIM „ DE SE EST GRATUITUM AE- „ QUE AC DONUM. SICUTI IM- „ POSSIBILE EST EX DONO ALI- „ QUOD PRAETIUM POSTEA „ EXIGERE, ITA ETIAM EX MU- „ TUO. *Adeoque qui pecuniam suam „ mutuam dat, non dat illam ad usuram.* „

IV. Clarioribus ne verbis exprimi ERROR quartus poterat, videlicet, perperam ex mutuo definiri usuram? Unus ex Italis Scriptoribus, qui pro moderata usura a divitibus percepta pugnarunt, non minus aperte Pontificiæ definitioni, seu universæ Catholicorum Doctrinæ se se opponit his verbis, pag. 298. *In sostanza il definir l'usura dal Mutuo, è contrario a tutta l'antichità*. Verba hæc rescripti, ut evincerem necessitatem Pontificiæ definitionis. Quid antiqui senserint, infra luculentis documentis in medium adductis, palam faciam. Insignem versutiam, ne dicam fraudem Nicolai Broedersen in adulterandis præfatis documentis manifestabo. Interim Theologi Catholici omnes nemine discrepante, a Petro Lombardo ad hæc usque tempora, Thomas, Alexander, Albertus, Bonaventura, Scotus, Durandus, Antoninus, Bernardinus, cæterique omnes, etiam Jurisconsulti usuram ex mutuo definiunt. Omnesne antiquitatis imperitissimi?

V. Sed agendum. Scriptura divina, qua nihil vetustius, hæc præscribit Exod. 22. & 25. -- *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum non urgebis eum quasi exactor, nec USURIS opprimes*. Respondet Nicolaus Broedersen loc. citat. pag. 69. „ Quid hoc „ ad rem? Legitur ibi vox *mutuum*.

„ Ergo usura, secundum sacram Scri- „ pturam, est incrementum pecuniæ „ ex mutuo? Supponitur hic aliquis „ pauperi mutuam dedisse pecuniam. „ Hic duplici ratione pauperem illum „ potest lædere: altera, dure, & intem- „ pestive pecuniam mutuo datam repe- „ tendo: altera, cogendo illum, si pe- „ cuniam restituere nequeat, inire con- „ tractum usurarium. Si contractus hic „ celebretur, ipso illo contractu finitur „ contractus mutui, & fit novus con- „ tractus fœneratitius; sicuti dum alter „ alteri domum suam per annum com- „ modat, & finito anno eandem illi „ locat; simul ac contractus locatio- „ nis initus est, finitum est commo- „ datum. Quod autem ex contract- „ locationis postea inito accipitur „ non accipitur ex commodato; quia, „ commodatum finitum est. Sic etiam „ quod ex contractu fœneratitio acci- „ pitur, non accipitur ex mutuo, qui „ mutuum finitum est. Et sicut ex „ commodato, ita etiam ex mutuo ni- „ hil accipi potest: tamdiu enim quam „ ista subsistant, non gratuita esse non „ possunt &c. „

VI. Nullus ergo ambigendi locus, Broedersen cum suis Catholicorum de usura finitionem rejicere, atque adeo ipsum Dogma evertere. At si usura ex mutuo definiri nequit, in quo ergo sita usura est? In oppressione pauperum, in lucri excessu, reponit ille. At Scriptura & secundum literam accepta, & juxta omnium Patrum mentem, usuram ex mutuo perceptam asserit. Ut tam luculenta testimonia & Exodi, & Levitici eludat, ineptissimam obrudit commentationem, quam retulisse, confutasse est. Unde eruit ex Scriptura, mutuatore, de quo Exod. 22. sermo est, debuisse alium contractum a mutuo distinctum inire, ut usuris pauperem trucidaret? Si alius celebratur contractus, aut locationis, aut venditionis, injustitia, non usura perpetrari valet. At Broedersen cum suis in solo pretii excessu, aut pauperum oppressione usuram collocat, quem errorem infra refellam.

§. III.

§. III.

Juxta Patres, omnes notio usurae est lucrum ex mutuo exactum, aut speratum.

I. ERROREM suum Broedersen confirmat lib. 1. par. 2. cap. xv. ubi evincere contendit, neque ex Scriptura, neque ex Patribus erui communem nostram definitionem posse; nempe usuram esse lucrum ex mutuo exactum, vel speratum. Inquit enim num. 136. supra cap. xi. „ Usuram secundum „ facram Scripturam esse fortis superabundantiam, vel incrementum, vel „ accessionem; nullibi vero in illa definiti, Lucrum ex mutuo, vi mutui principaliter intentum &c. ut eam definiti, re Adversariis placet. Quamvis ex „ dictis satis constat, istas Adversarium definitiones esse rejiciendas: „ attamen illud paulo latius pertractandum est „. Adeo inepte ratiocinatur homo iste, ut refugiat animus cum illo certamen inire. Ex Scriptura probat, usuram esse fortis accessionem. At fors isthac quo titulo, quo contractu a mutuatore data est accipienti, ut cum illa exigendo incrementum, usuram perpetret? Non mutui contractu, inquis. Quo ergo? Locationis? At incrementum tunc injustitiae, non usurae crimen est; admissio, quod pecunia locari valeat. Hoc contedit Broedersen cum suis. Negamus vero nos Catholicos omnes. Pergit Broedersen refellere Jacobum Gaytte, cui objicit, nullum Textum ex sacra Scriptura adductum ostendere, usuram lucrum esse ex mutuo.

II. Non modo laudatam definitionem, non deduci ex S. Scriptura, sed neque ex Patribus contendit Broedersen, ibidem num. 139. his verbis: Secundum SS. Patres memorata definitio etiam repudianda est. Addit ibidem num. 142. Usuram esse accessionem ad sortem ex MUTUO, neque habent verba illorum Patrum, neque ex illis colligi potest. Quid reponendum est adversus hominem ne-

gantem in meridie lucere Solem, fere no Caelo? Pauca hic ego transcribam, non ut adversarii duritiam emolliam (quae nimia est, ac plane ferrea) sed magis magisque illustrandae veritatis gratia.

III. S. Augustinus Serm. 3. in Psal. 36. n. 6. -- Tota die miseretur, & feneratoratur. Fenerator quid est? Latine dicitur & qui dat MUTUUM, & qui accipit . . . Si feneratoris homini, id est MUTUAM pecuniam tuam dederis, a quo aliquid plus, quam dedisti, expectas accipere, non pecuniam solam, sed aliquid plus, quam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud, si plus quam dedisti expectas accipere, fenerator es, & in hoc improbandus, non laudandus. Homini Jansenistae satisfacere deberet hic unicus Augustini textus.

IV. Audiat & S. Thomam 2. 2. q. 78. a. 1. Accipere usuram pro pecunia MUTUATA, est secundum se injustum; & propter hoc secundum se est illicitum pro usu pecuniae MUTUATAE &c. accipere pretium, quod dicitur usura. Textus Tertulliani, Basilii, Ambrosii, Gregorii, aliorumque cujusque saeculi Patrum, quos referunt D. Jacobus Gaytte, Natalis Alexander, Thomasinus, & alii, prætereo.

V. Alterum dumtaxat Textum producam, cui submittat cervicem Broedersen necesse est. Carolus Molinaeus, usurariorum Coriphæus, usuram definit cum Philippo Melanchtone in suo tractatu de Fœno. num. 6. vet. edict. hoc pacto: Usuram lucratoriam, quae est propriissima, & formalis usura, tam Theologi, quam Juris Professores definiunt. Sed nemo unquam dexterius, & dilucidius, quam Doctissimus ille Philippus Melanchton in sua Epitome Philosophiae Moralis, dicens: Usura est lucrum supra sortem exactum TANTUM propter officium MUTUATIONIS. Potest etiam sic brevius cæteris definiri: Usura est LUCRUM ex MUTUO exactum.

VI. Quid ad hæc Broedersen? Quid illi, qui cum eodem ajunt, illum universae adversari antiquitati, qui ex Mutuo Usuram definit? Mitto Testi-

monia omnium Catholicorum, qui a saeculo XII. ad hæc usque tempora scripserunt. Quid enim in re tam manifesta tempus prodigere juvat? Interim rogamus Authores Catholicos, qui libros edidere pro usura vernaculæ lingua, ut perhibeant nobis finitionem, quam de usura Ecclesia Catholica & ante, & post saeculum XIII. fidelibus suis exhibet. Dicent ne, Dogma adversus usuram clara, & perspicua notione non esse ab Ecclesia Catholica explanatum?

§. IV.

ERROR QUINTUS

A Salmasio, aliisque contra definitionem Usurae in Epistola Pontif. probatam, excogitatus.

I. Nicolaus Broedersen primus minime fuit, qui communem Catholicorum usurae definitionem rejecerit. Tanti sane non est homo iste, ut vel repertor novi erroris dici possit. Ab Hæreticis Calvinianis, quæ adversus Catholicam Doctrinam scripturavit, mutuatus est. Claudius Salmasius Grammaticorum, & politioris litteraturæ non ignarus, fufius atque ardentius cæteris pro usura certavit, ac primus omnium cavillari cœpit usurae finitionem, ab omnibus ante ipsum probatam. Animadvertit Jacobus Gaytte, Salmasium non solum naturam, & veritatem deferere, ut errorem suum tueatur; sed etiam communem animi sensum, & publicum loquendi usum, ac morem relinquere, ut præ cæteris sapere, atque singulari, & recondita eruditione cæteris præstare videatur. Hinc censuram, & veluti dictaturam in alios exercere Litteratos, suoque judicio censorio, non Grammaticos modo, & Antiquarios, sed Jurisconsultos etiam, Philosophos, & Theologos, quarum facultatum innocens sane, atque jejunos omnino est, corrigere, atque emendare ausus fuit; quasi unus præ cæteris

(concludit D. Gaytte) verum viderit, ac sapiens fuerit.

II. Itaque errores Salmasii circa usurae definitionem breviter perstringamus. Lib. de usur. cap. 7. definit fœnus hoc pacto: Post datam seorsim definitionem mutui, quo gratuita datur pecunia . . . definitur sic: Fœnus esse mutui dationem cum usurarum stipulatione legitimarum pro creditæ rei qualitate, & contrahentium conditione. Sic omnes omnino usuras, quæcumque ex mutuo fœnabri competunt, comprehendimus, quarum non unus modus est, sed varius lege permissus pro rei, quæ sub usuris creditur, qualitate, ejus, qui creditur conditione, & illius, cui creditur.

III. Multis opus non est, ut finitionis error probetur. Nemo quippe non videt, fœnus non esse mutui dationem, ut Salmasius vult; sed est accessio ad sortem mutuo datam. Salmasius contendit in hoc fœnus ab usura distingui: quod fœnus sit fors ipsa sub usuris data: usura vero sit accessio ad sortem mutuo datam, sive merces pecuniae creditæ, fortisve locatæ. Duplex enim mutuum & ipse distinguit: mutuum nempe gratuitum, & fœnebre. Quam distinctionem Author tractatus des Billeis in alteram distinctionem fere eandem convertit; nempe in mutuum consumptionis, & in mutuum accretionis, qua de re supra pauca diximus. Verum hæc omnia levia sunt. Graviora videamus.

IV. Definitio usurae, quam Salmasius tradit, hæreticam suam doctrinam prodit. Sic quippe illam definit lib. cit. cap. 5. Quidam ita usuram definiunt: Usura est lucrum supra sortem exactum tantum propter officium mutuacionis, quæ multis modis non mihi probatur. Primo usura non est proprie lucrum, sed merces: nec propter officium mutuacionis accipitur; sed propter usum pecuniae. Aliud autem est merces, aliud lucrum. Hoc adventitium est, & extra rem: illa profectitia ex ipsa re. Communi improbata definitione suam promit, qua usura errorem occultare itudet. Non lucrum, dicendam usuram vult, sed mercedem.

V. Me-

V. Neque putes de sola voce litem hic esse. Voces semper variare hæretici solent, illamque seligere, quam propagando errori commodiorem agnoscunt. Confundit Salmasius mutuum gratuitum cum commodato, & mutuum fœnebre cum locatione. Hic totus latitat error. Quoniam sicut pensio ex locatione agri iusta est, ita mercedem ex pecuniæ locatione iustam esse contendit ille. Sed Salmasium ipsum audiamus. Pergit itaque sic: Non igitur brevius, aut verius potest usura definiri, quam esse mercedem pro usu pecuniæ mutuo datæ. Multæ quidem aliæ res præter pecuniam in mutui contractum cadunt, & usuræ ex aliis pluribus causis debentur, quam ex mutuo. Præterea certum est, eas non aliter in plerisque casibus Jure Civili Romano deberi, nisi in stipulationem adductæ sint; quæ omnia tamen non est necesse definitione comprehendere: Quæ enim ex alia causa, quam ex mutuo debentur, ad exemplum usurarum mutuatitiarum constitutæ sunt & præstantur citra conventionem vel ex lege, vel ex officio Judicis. Ex lege, ut usuræ rei judicatæ. Ex officio Judicis, quarum modus æstimandus Judicis arbitrio permittitur, ut in omnibus bonæ fidei judiciis; idque ex more Regionis, in qua contractum est, ut habetur lib. 1. ff. de usuris. Satis igitur fuerit si definiamus hoc modo. Usura est merces pro usu rei mutuo datæ, sive ex stipulatu, sive alia conventionione debeat, præstanda.

VI. Quod Salmasius mercedem potius quam lucrum in usuræ definitione collocare velit, fortasse existimabis litem esse de voce; sed falleris. Merces ex iustitia debetur: lucrum injuste repeti potest. Mutuum dari contendit Salmasius non ad abusum, seu consumptionem, sed ad locationem, non fœcus ac locatur domus. Loquatur Salmasius ipse. Qui pecuniam suam dat mutuum (prosequitur ibi) & pro usu stipulatur usuram, quasi mercedem, non in lucro id magis deputandum, quam quod ex ædium locatione mercedis adeptus est, aut ex agro, quem Colonus exercendum locavit. Quod ex opera sua capit Bajulus,

non id ei liceri vicem obtinet, sed pro mercede est laboris, quam impendit. Merces denique est quod quis ex merito capit pro re, quam dedit, aut opera, quam præstitit, atque inde nomen a mercendo: nam & mercenarii dicuntur, qui mercedem ex suo labore, vel opere capiunt; lucrum vero ob nullum meritum percipitur. Locatur autem pecunia, quæ fœnore datur, non alio modo, quam ædes, aut ager, aut opera, pro quibus merces exigitur ab his, qui ea conduxerunt &c. Nulla igitur harum definitionum placeat, quæ usuram lucrum esse statuit ex mutuo exactum. Hæc omnia Italus Auctor operis Dell' impiego del denaro docet, ut infra patebit.

VII. Nullam igitur Salmasius usuram lucratoriam admittit. Quoniam proventus, qui pro usu mutuatitiæ pecuniæ redditur, merces, non lucrum illi est. Immo nullam proprie dictam usuram agnoscit, ut fufius cap. 7. explicat. In genere omnes usuræ quæcumque eas causa pariat, sive fœnus, idest mutuum fœnebre, sive aliqua earum, quas hic commemoravimus, compensativæ sunt: Et si verum quæris, omnes propter moram debentur: nec placent mihi, qui alias ex his compensativas dici, & esse volunt, quæ in pensationem dantur eis, quod creditoris interstet pecunia suæ non caruisse: alias lucrativas, quæ scilicet præstantur propter officium mutui &c. Qui pecuniam suam dat utendam gratis, beneficus, & liberalis est: qui pro ejus usu mercedem, hoc est usuram percipit, non pro officio rem exigit, quod nullum est; sed pro eo, quod sua putat interesse pecuniæ suæ usu non carere. NULLÆ IGITUR USURÆ, quæ pro mutui officio præstantur; & nullæ propriæ lucrativæ, sed cum mercedis instar haberi omnes definierimus, quæ pro usu pecuniæ mutuatitiæ dantur; nullas quoque esse compensativas dicendum, quia merces genus est compensationis. Ita quoque omnia ad amissim docet pluries citatus Italus Auctor Operis: Dell' impiego del denaro; ut patebit infra cap. 7. §. 6.

VIII. Hæ paulo fufius ex Salmasio rescribenda censui, ut palam facerem quæ

quæ sit illius de usuræ finitione sententia, & ut hinc constaret, Recentiores a Broederfen, alioque a Salmasio sophismata, quibus occultare usuræ scelus nituntur, mutuo accepisse. Paucis nunc refellendus error est. Lucrum ex mutuo esse usuram Salmasius negat, ut errorem suum obtēgat, nulla adducta ratione. Proventus quippe ex mutuatitia pecunia rediens ad creditorem, aut damnum, aut commodum, seu lucrum est. Non damnum: ergo commodum, seu lucrum, ut communis sensus habet. Patres, Tertullianus, Basilius, Ambrosius turpe lucrum, injustum lucrum vocant proventum usurarium. Sed finitionis falsitatem evincit ratio, quam Salmasius affert, cur merces, non lucrum vocari proventus ille debeat. Ratio porro ista ejusmodi est. Pecunia mutuatitia locatur, quemadmodum domus, ager &c. Pensio, quæ percipitur ex locatione, non lucrum, sed præteritium, seu merces appellatur. At unde didicit Vir alioquin sane acutus, id in definitione collocare, quod est in quæstione? Negamus nos locari pecuniam posse. Adfirmat ille. Afferimus nos in mutuo transferri non modo usum, sed pecuniæ dominium. Negat ille. Fallitur ergo turpiter, dum pro definitione obtrudit quod in utramque disputatur partem. Accedit, quod, admissa usuræ finitione a Salmasio excogitata, æque a pauperibus, ac a divitibus usura percipi jure posset. Nullibi quippe Divina Scriptura, aut Jus sive Canonicum, sive Civile prohibet exigere mercedem rei locatæ a pauperibus, dummodo egestas extrema, aut gravis non sit. Sed a pauperibus usuram exigere licitum esse negant omnes. Ergo inutilis est Salmasii definitio. Et tamen omnia fere, quæ Salmasius docet, rescripserunt Auctores Itali, qui se nec Salmasium, nec Broederfen, antequam pro usura scriberent, legisse testantur. Vah miram ingeniorum consensionem!

IX. Ut autem clarius appareat, Broederfen, alioque a Salmasio mutuo accepisse argutationes illas, quas grandiloquentia exaggerant, pauca alia ex

eodem Salmasio transcribo. Inquit itaque cap. 8. Qui ædes conducit, post finitum tempus locationis ædes Domino restituit, præter pensiones, quas pro usu ædium præstitit; sic & in mutuo fœnebri sortem pro sorte reddit, quam accepit, præter usuras, quas pro usu pecuniæ ex pacto, aut stipulatione dependit. Hoc non est sortem his vendere, nec pro nibilo aliquid percipere. An pro nibilo computandum, quod tu, dum meis nummis uteris sive ad ea, quæ tuæ postulant necessitates, sive ad tua compendia, ego interim his careo cum meo interdum damno, & jactura? Et cum mutuum non in sola sit pecunia numerata, sed etiam in aliis rebus, quæ pondere, & mensura continentur, ut in frugibus humidis, vel aridis, an qui indigenti, mutuum, vinum, aut triticum dederit, quod usuræ nomine pro usu eorum consequetur, pro nibilo id capere existimabitur? Qui fruges meas in egestate sua consumpserit, quas care emere ad victum coactus esset, aut qui eas aliis care vendiderit, præter ipsam mensuram, quam accepit, si aliquid vice mercedis propter usum admensus fuerit, an id injustum habebitur?

X. Hanc argutationem magni faciunt Broederfiani, minime advertentes, Calvinistam Salmasium pugnantly loqui. Domus utenda datur, cujus usus a dominio secernitur. Pecunia abutenda, seu consumenda traditur, ut infra evidenter demonstrabo. Perperam ergo locationem pecuniæ, agrorum æquiparant locationi. Quod Broederfen cum suo Italo Interprete excludat ab usuræ definitione mutui vocem, non propterea re discrepat a doctrina Salmasii. Sed quisque eas venari studet voces, quas occultando usuræ errori opportuniore reputat.

§. V.

ERROR SEXTUS,

Qui proscribitur infertur ex laudato Epistola Pontificia Textu, quemque nonnulli Recentiores docent, singularem aliam de usura finitionem invehentes.

I. Hanc aliam commenti sunt definitionem novissimi usurarum Patroni: *Accessio ad sortem ex mutuo pauperibus dato exacta, aut sperata.* Molinæus ex quo docuit, usuram aliquam licitam esse, male audire cœpit, ejusque doctrina reputata a Catholicis fuit tamquam hæretica. Temporis cursu, ut omnis ars, sic & Theologia nova in honestandis vitiis profecit. Doctrinæ Molinæi propugnatores usuræ vocem declinare studuerunt. Intellexere siquidem quam certum, firmumque sit in Romana Ecclesia, usuram quamlibet a Deo vetitam esse, illiusque fidem in suspicionem adduci, qui oppositum sentiret. Quapropter novam affinxere usuræ larvam, novamque definitionem commenti sunt, quam hic exhibeo. Molinæus omne lucrum ex mutuo exactum usuram candide dixit, veramque usuram esse censuit, sive a divitibus exigatur, sive a pauperibus. Secus philosophantur acuti, & politici quidam Juniores. Cum Molinæo docent, lucrum a mercatoribus, & a divitibus perceptum honestum esse, justumque. A Molinæo dissentiunt, contendentes non modo justum esse, atque honestum lucrum illud, verum etiam negant usurarium vocandum, nisi sit nimium, & excedens. Et omnem usuram in hoc excessu sitam damnant. Sciunt Catholicis compertum esse, usuram quamlibet vetitam fuisse a Deo. Et nos, inquirunt, iisdem accedimus, dum negamus, lucrum exactum a divitibus propter officium pecuniæ datæ ad lucrandum, vocandum esse usuram. Solum illud lucrum usura est, quod aut est nimium, aut ab indigentibus percipitur: & hoc a lege divina prohibi-

tum asserimus. Hoc pacto omnis usura a Deo vetita est. Quid inde? Vitium ne erit ex pecunia data divitibus ad lucrandum, proventum moderatum exigere? Minime gentium. Sic arguitur *Broedersen* cum suo Interprete Italo. Sciant autem viri isti, & Scripturæ, & Patribus, & universæ Jurisprudentiæ principiis sese opponere, dum talia docent. Hæc usuræ finitio, *Accessio ad sortem ex mutuo indigentibus dato exacta, aut sperata*, chimærica est, sola vastitæ parta ad usuræ invidiam declinandam folius novæ vocis intrusione.

II. Molinæus itaque non duplex mutuum, sed duplicem mutui usum distinxit, ut etiam advertit D. Jacobus Gaytte, qui præ cæteris Molinæum, novosque usuræ Patronos exagitavit. Accessionem ad sortem a quocumque sive paupere, sive divite perceptam, usuram nominandam vult. Illud vero contendit, usuram exactam a divitibus, qui pecunia mutuo accepta res suas amplificant, non esse a Deo prohibitam, dummodo moderata sit. Doctrinæ substantiam ambabus vlnis amplexati sunt *Broedersiani*, in sola voce a Molinæo dissidentes, quod nolint, ut diximus, lucrum moderatum a divitibus exactum appellari usuram, sed honestum proventum. Hoc tamen modo adfirmant, modo negant, & perpetuis se jugulant antilogiis. Verum ejusmodi distinctiunculæ gerræ sunt, & nugæ inanissimæ. Hoc pacto fornicatio, honestus congressus cum muliere divite, prolem educare valente: adulterium, accessus ad alterius uxorem, Marito consentiente, nuncupari, sin potiori, saltem eodem prætextu posset. Quam sit laudata definitio futilis, nemo, qui prima Dialecticæ elementa vel extremis degustavit labiis, non videt. In qualibet causa primum omnium conveniat necesse est inter disputantes quid sit res, de qua ineunda disputatio sit: alioquin disputationi locus nullus. Porro *Broedersiani* pro definitione constituunt, quod ab illis omnino probandum esset. Omne lucrum

crum a quocumque perceptum, propter mutui officium, usuram nos appellamus. Negant hoc illi. Ut autem id evincat, in ipsius usuræ finitione propriam comprehendunt sententiam, nostramque excludunt. Hinc patet non minus novam esse illorum de usura doctrinam, quam sit eorum dialectica. Accedit, datam definitionem ex alio capite vanam esse, ineptamque: quoniam, missis istorum figmentis, juxta omnes, & vel ipsum Molinæum, quælibet accessio supra sortem, ex mutuo unicuique dato exacta, aut sperata, usura est. Neque vero in re apertissima diutius immorandum existimo.

III. ERROREM SEPTIMUM commentus est Author tractatus *des Billets*. Hactenus vidimus Calvinum, Molinæum, Salmasium consentientes lucrum illud, quod a mercatoribus, qui ex pecunia mutuatitia quæstum faciunt, exigitur, usuram vocari: sed hi moderatam usuram innocentem volunt, ut jam dictum supra est, vel quod charitati non repugnet, ut docent Calvinus, & Molinæus, vel quod merces sit pecuniæ creditæ, ut sentit Salmasius. Novissimi usurarum Patroni, ut probrum, infamiamque usuræ effugiant, imperitorumque aures demulceant, mentemque infatuent, usuram omnem iniquam, flagitiosam, divinæque legi contrariam esse plenis buccis effantur. At negant (non semper tamen) pernegantque lucrum moderatum a divitibus, qui ex accepta pecunia proventum comparant, usuram esse. Istorum sententiam confirmat Author Tractatus *des Billets*, qui, ut supra vidimus, duplex mutui genus commentatus est. Opinionum, & doctrinarum intima conjunctio, & affinitas, eadem sæpe repetere nos cogit.

IV. Duplicem itaque usuræ finitionem, nobis porrigit D. *Coneur*, Author Tractatus *des Billets* cap. 7. quarum alteram ex S. Antonino, alteram ex S. Thoma erutam contendit. En ejusdem verba. *On rapportera deux définitions de l'usure, qui sont les plus ordinaires, & les plus reçues dans l'Escole*

pour ôter tous les pretexte, que l'on pourroit prendre de contester les principes, sur les quels on s'appuie. La premiere est tirée de Saint Antonin, & la seconde est tirée de Saint Thomas. 1. Saint Antonin 2. part. tit. 1. cap. 6. §. 1. dit que l'usure est un profit, que l'on pretend tirer d'une chose principalement, parce qu'on l'a presté. Lucrum ex mutuo principaliter intentum.... On dit enfin parce qu'on l'a presté, c'est à dire, que c'est un profit, que l'on prend précisément a cause du prest. Il paroît par cette définition qu'il n'y a aucune usure dans les traitez, ou il n'y a aucun prest a proprement parler, parce que l'usure se commet seulement dans le prest.

V. Altera, quam ex S. Thoma 2.2. q. 78. a. 1. finitionem promit, ejusmodi est: *Saint Thomas dit que l'usure est le prix de l'usage de l'argent presté. Usura est pretium usus pecuniæ mutuatae. On dit que l'usure est le prix, c'est à dire la valeur. Il a deux sortes de prix. L'un qui est juste, & autre qui est injuste. Le prix est injuste en deux manieres. Premièrement il est injuste lors que l'on estime une chose plus qu'elle ne vaut, ce prix s'appelle excessif. Secondement il est injuste lors que l'on pense que une chose vaut pour un profit, que elle ne produit pas. Saint Thomas parle du prix injuste de la seconde maniere. Il considere donc l'usure comme une injustice. On ajoûte (que c'est le prix de l'usage) non de usage d'employ, & d'accroissement, mais de l'usage de consumption, & de destruction, parce que c'est le prix de l'usage de l'argent presté. Or l'argent presté, se consume indirectement par l'usage. On dit en fin que c'est le prix de l'usage de l'argent presté. Saint Thomas parle du prest a proprement parler tel, qu'on l'a expliqué dans le chapitre troisieme, & non du prest de commerce dont on parlera dans la suite.*

VI. Distinctionis istius futilitatem supra explosimus. Confundit quippe Author iste mutui effectus cum mutui natura. Mutui contractu res, quæ ponderare, numero, & mensura constat, ita in consumptionem datur, ut accipientis,